cipiatur ledis quam me. Quod absit
a moribus et recto proposito tuo ut
hoc facias. Potest enim fieri
ut tibi videatur aliud quam veritas
habet. Dum tamen aliud abs te non fiat quam
caritas habet; Nam et ego amicis-
simae reprehensionem tuam si tran-
quillus accipero non dolebo. Me-
lius amor capitur dolet cum cura-
tur; Nam dum ei parcitur nostrae;
Hoc est enim quod acute vidit qui dixit;
Utiliores esse plerumque inimicos liti-
gantes quam amicos obiurgare metu-
entes; Illi enim dum rixantur, dicunt
aliquando vera quae corrigamus;
Isti autem minorem quam oportet exhi-
bent iustitiae libertatem. Du(m)
amicitiae timent exasperare
dulcedinem; quapropter etsi bos ut tibi vi-
deris lassus es senectute forte
corporis non vigore animi, Tam et ego
in area dominica fructuoso labore desu-
das. Ecce sum; Si quid perperam dixi
fortius fige pedem. Non mihi esse de-
bet molestum pondus aetatis tuae
dummodo conteratur palea cul-
pae meae; Proinde illud quod in
extremo epistulae tuae posuisti
cum magni desiderii suspirio tibi
inquis lego et recolo utinam mereremur
amplexus tuos et conlatione mu-
tua vel doceremus aliqua vel disce-
remus; Ego autem dico utinam saltem

propinquis terrarum locis habi-
taremus ut si non possemus miscere
colloquia litteras possemus crebriores.
Nunc vero tantum locorum inter-
vallo cebrumur a fratribus; nostris
Ut de illis verbis apostoli ad Gala-
tas iuvenis ad tuam sinceritatem
scripsisse meminerim; Et ecce iam
senex nondum rescripta meruerim.
Faciliusque ad te exemplaria
epistulae meae pervenerunt nescio qua
occasione praeveniente quam ipsa
epistola me curante; Homo enim
qui eam tunc acceperat nec ad te pertu-
lit nec ad me retulit; Tanta mihi autem
in litteris tuis quae in manus nostras
venire potuerunt apparent res ut nihil
studiorum meorum mallem si possem quam in-
haerere lateri tuo; Quod ego quia non
possum aliquem nostrorum in domino filiorum
erudiendum nobis ad te mittere cogito
si et iam de hac re tua rescripta meru-
ero; Nam neque in me tanta scientia
scripturarum divinarum est aut esse iam
poterit quantam in te esse video;
Et si quid in hac re habeo facultatis ut-
cumque impendo populo dei; Vacare
autem studiis diligentius quam populi au-
diunt instruendis propter aecclesiasticas
occupationes omnino non possum.
Nescio quae scripta maledica super tuo
nomine ad Africam pervenere. Acce-
pimus tamen quod dignatus es mittere

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0174